

Ruggero I

C 28

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Ruggero I

C 28

1091-08

Diploma factum a me Rogerio duce Italiae, Calabriae et Siciliae, et datum tibi domino Petro piissimo monacho et abbati monasterii S. Trinitatis, quod iacet in monte et prope civitatem Salerni in loco dicto Metiliano, mense augusto, indictione XIV.

Dignum quidem et iustum est, quin etiam Deo et hominibus gratum eos qui Deo iugiter inserviunt eumque indesinenter colunt, quotidie precantes pro communi hominum salute atque adeo pro animarum utilitate enixe operam dantes et assiduas nec intermissas vigilias agentes, amice semper complecti et benevolentia prosequi, eorumque petitiones explere nulla mora interposita aut excusatione. Quapropter cum talem te geras in spiritualis salutis negotio tu, domine Petre piissime monache predicti monasterii Sancta Trinitatis, quod est sub nostra dictione et potestate, idcirco nos pro benevolentia, qua quidem monasterium, cui tu prees, prosequimur, tuas petitiones, quantum in nobis est, benigne excipientes, primum propter Dei timorem, deinde propter spirituales salutem patris nostri et propter remissionem nostrorum peccatorum, damus et concedimus monasterio Sancte Trinitatis monasterium Sancti Hadriani, quod positum est in Calabria in pertinentiis Rossani, cum omnibus eius possessionibus et obedientiis, ut ipsum habeat in sua potestate et dominio, et suffraganeum site idem monasterio Sancte Trinitatis amodo et in perpetuum, et faciat in ipso quecumque monastica regula et apostolicae constitutiones statuunt. Ad haec precipimus etiam omnibus gloriosissimis nostris strategis, potestatibus, turmarchis, et uno verbo, omnibus nostrae ditionis administratoribus, ne ullum impedimentum aut damnum afferant ipsi, quin immo ut

illud adiuvent et foveant. Ad maiorem autem fidem et firmamentum eorum omnium qui lecturi sunt, praesens hoc diploma, nostra consueta bulla plumbea munitum, ipsi datum est mense et indictione suprascriptis.

Romanus peccator monachus, humilis archiepiscopus Rossani, praesens diploma de mandato praeclarissimi ducis domini Rogerii subscripsi et roboravi.